

17
 prima initia ex illa sumpta esse. Ex illa enim non plures mundos, non hunc ipsum in quo uiuimus, aut ullum omnino aliud corpus, infinitum esse ostenditur. Quæ sanè physicae uera sunt & propria exordia putanda. Quòd hæc ipsa mensurarum ratio & terræ amplitudinem metitur, & cœli ipsius spacia describit: & disciplinæ suæ, regulis quasi quibusdam, in cœlum subuectis mentibus hominum, omnes illos orbium & corporum cœlestium ortus, obitus, motusq; demonstrat. Atq; hæc tam multa & minimè contemnenda commoda ijs præcipuè affert, qui in umbra & ocio uiuentes, ueritatem exquirunt. Cum interim neq; pauciora, neq; leuiora ijs etiã præstet, qui ex umbra in solem progrediuntur, & in communi hominū consuetudine uersantes, priuatam aut publicā rem gerūt. Galenus scribit, sæpe se in incertarum rationum æstu ualde anxium & dubium laborantem, Geometricarum demonstrationum beneficio subleuatum esse, quæ modum & uiam præclarè operandi sibi monstra- uerint. Etenim cum animaduerneret rotunda & circularia ulcera tardius quàm longa curari, censuit eius curationis uiam sibi ex Geometria petendam esse. Proinde in lectionem de Isoperimetris incidens, inuenit, quòd circulus quidem omnium Isoperimetrarum figurarum esset capacissimus: nimirum quòd extrema eius undiq; plus à se mutuo, quàm in alijs Isoperimetris figuris, distarent. Hac ratione fretus, in Methodo curandi, ad finem libri tertij scribens, sic inquit:

*τὰ μὲν γὰρ ἔγκύρσια δὲ τὰ χεῖλη αὐτῶν μᾶλλον δεσμηγῶν τε καὶ ἀφει-
 σηγῶν. ἢ συναγωγῆς ἀκρεβέσθρας δέεται, ὡς καὶ εἰσφῶν καὶ ἀγκυτήσιον
 ὡπὶ τούτων χησιον.*

Vnde Hippocrates etiam filium suū Theffalum, in quadam ad ipsum epistola, hortatur, ne uel Geometriam, uel Arithmeticam negligat, inter alia scribens his uerbis:

Ἰσορίας δὲ μελίτω βίῳ πᾶσι, γεωμετρικῆς καὶ ἀριθμησιῶ.

Et grauis author Quintilianus, eandem etiam Geometriam oratori suo, Rempub. domi & in pace gubernaturo, necessariam esse, multis & grauibus de caussis ostendit. Ac res ipsa clamat, foris & in bello usum huius non uulgarem existere, cum castris scilicet locus est capiendus, magnæ moles loco mouendæ, machinæ bellicæ & tormenta fabricanda, aut trañcienda flumina pontibus, obsidēda hostium mœnia, & huius generis sexcenta alia facienda sunt. Celebratur Archimedis industria, quæ sola & acerrimos summi Imperatoris Marcelli impetus leui sepe momēto frustrata est, & obsidionem Syracusarū in longius traxit. Inter ciues aut & milites magna uis est ordinis, magna cōcordiæ, magna amoris mutui: quas res in primis efficit & conseruat in hominū societatibus proportio Geometrica. Quare Plato hanc, ut salutarē, præcipuè asciscendā esse duxit ciuitatibus, quæ rerum suarum statum optimū esse uellent, & quàm firmissimum, Vbi enim pro meritis & dignitate, magistratus & imperia
 optimis